

Hermann Lembke Friedrich Bernhardt Gehren von

## **Dissertatio Inauguralis Iuridica De Sepultura Punitorum, Ad I. II. C. de. Religios. & Sumpt. Funer.**

Rostochii: Kilius, 1672

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730748065>

Druck Freier  Zugang









N<sup>o</sup>. K. — 2 (130.)



1. Cimerus, de eo quod iustum est, circa defensionem.
2. Reinhard, de methodo optima defendendi jus publ. imperii roman. germanici commentatus.
3. Ludovicus, de iure circa hypothecam de principio juris naturalis.
4. Ludovicus, de eo quod qui post rem contentatam bona immobilia possidere desit.
5. Fabricius, de hereditatibus.
6. Faber, de delictis.
7. Grasius, de obligatione generica.
8. Crense, patrum ex patto filii obligatum.
9. Franck, de superiorum iudicio.
10. Rivin, de iuramento documentorum naviter repertorum.
11. Schuber, de statum provincialium origine et praecipuis iuribus, cum Prind. Prind. delicta et delicto
12. Ludovicus, de hypotheca tacite fieri propter ~~delicta~~ delicta
13. Ludovicus, de limitibus iustitiae juris divini naturalis et positivi universalis.
14. Koch, de iure vicinas adra cum Mylbenk hyst.
15. Thellius, de iure electionis regis romanorum vivente imperatore.
16. Legher, de anatocismo.
17. Dahm, de necessitate et qualitate possessionis in eundem transferendae <sup>his</sup>
18. Grasius, de obligatione generica, pro ea, per quam existit divina generis.
19. Grasius, de traditione relictorum in ultima voluntate vivo personae testatore honoratae facta.



20. Rehan, de expensis litium.
21. Rechenberg, an casus regio, ejus sit religio?
22. Chladenius, de juramento subjectionis, speciatimque in civi-  
tum praestatis solito.
23. Quosner, de mutua conjugum successione.
24. Quosner, de executione rei judicatae.
25. Lynoyer, de femiplenis probationibus.
26. Perdes, explicatio et conciliatio L. IV. C. cum l. xxxi ff  
de LL.
- 27<sup>a</sup> Lemoye, de sepulture punitorum  
27<sup>b</sup> de privilegiis feminarum.
28. Calhous, de etidid.
29. Brocys, de Pomponio historiae romanae ignaro.
30. Wüdler, de origine et natura bonorum censuitorum.
31. Praus, tractatus juris emphyteutici.
32. Böhmer, de fundamentis generis juris parochialis.
33. Behm, consultatio jurid. super causa quodam usurario.
34. Nedemacher, de jure circa correctionem disciplinarem.
35. Wysel, de constituto possessoris.
36. Fremberg, de nuptiis.
37. Fremberg, de defensione necessaria.
38. Fremberg, de tutelis.
39. Fremberg, de furtis.
40. Wirth, de infanticidio.
41. Quether, de furtis.
42. Quosner, de successione legitima.
43. Quosner, de eo quod interest vulgo Interesse.
44. Quosner, de publicis judiciis, eorumque speciebus.



DISSERTATIO INAUGURALIS 276  
JURIDICA

De

# SEPULTURA PUNITORUM,

Ad

*l. II. C. de. Religios. & Sumpt. Funer.*

Quam

Bonô cum DEO

et

Decreto & Auctoritate

Magnificæ, Nobilissimæ ac Amplissimæ Juridicæ  
Facultatis, in Celeberrimâ Universitate Patriâ,

PRÆSIDE

*VIRO Excellentissimo, Amplissimo & Consultissimo*

DN. HERMANNNO

Lembken/

J. U. D. & Codic. Professore Ordinario, Ampliss.  
Juridicæ Facultatis Seniore & ad hunc Actum

DECANO spectabili, Fautore ac Promotore suo  
nunquam non observando,

Pro LICENTIA

Summos in Utroq; Jure consequendi honores & Privilegia,  
*Publico Examine subicit.*

Friedrich Bernhardt von Gehren/ Rostoch.

*In Auditorio Majori ad diem XXIII. Januarii.*

*hora ante - & pomeridianis.*



DISSEMINATIONE  
PUNTORUM

# SEPTUAGINTA PUNTORUM

1717  
HERO COM DEO

Magnificae Nobilitatis  
PRASID

# DN. HERMANN

PRO LICENTIA

ROSTOCK



PRÆFATIO.

**D**E PUNITORUM SEPULTURA, consentiente Amplissima  
 Juridica Facultate ad l. 11. C. de Relig. & Sumpt. Funer. Inaugu-  
 ralem conscripturns Disputationem, in antecessum nonnulla,  
 quæ usum & utilitatem, tam ex elegantissima nec non gravis-  
 sima presentis Constitutionis promulgatione, quam generali  
 sepultura adumbratione, in societatem Civilem redundantem  
 concernunt, adducerem, nisi sepeliendi officium tam homini-  
 quam humanitati conveniens satis superque commendatam e-  
 am facere, firmiter mihi persuaderem. Pependenti autem, cuiusnam Juri potissimum  
 veniat adscribenda Sepultura, primò occurrit Jus Naturale: quod ab Imperatore  
 describitur, quod natura omnia animalia docuit. *pr. Inst. de J. N. G. & C.* Sanè, Si  
 Plinio fidem habemus & Virgilio ejusdemque interpreti Servio, nullum dubium,  
 quin eidem annumerandum sit jus sepultura: Ita Plinius Hist. Natural. lib. 11. cap. 30.  
*Sepeliuntur inter se vivendum sola præter hominem,* de formicis ubi ipsi sermo, qui  
 tamen sibi ipsi contrarius, cum alibi idem de Delphinis pronunciaisset, sui fortean  
 oblitus. lib. 9. cap. 8. in fin. *Conspediq; sunt,* verba illius refero, *jam defunctum portan-*  
*tes ne à belluis laceraretur.* Virgilius autem de apibus canit *Georgic. lib. 4. 255.*

*Tum corpora luce carentum*

*Exportant testis & tristia funera ducunt.*

*nam exequiali se.* explicante sic Servio. *pompa.* Verùm Nos suo ista loco reliquentes  
 Historicorum, qui sæpe plus transcribere, quam ipsi credunt, consuevère, teste Histo-  
 ricorum mellitissimo Curtio. lib. 9. c. 1. num. 34. & Poëtarum, quibus fingendi semper  
 libera potestas, hæc relinquimus fidei, cum omnia ista ut credam, nunquam mihi  
 imperaverim, potiusque ad Jus Gentium, quod iterum vel Primarium vel Secun-  
 darium à *Dd.* proditur, nos conferimus. Posse autem, imò deberi adscribi Juri  
 Gentium Primavo vix in dubium vocarem, nisi ultrò nec quarenti se mihi offerrent  
 tot Gentes, non usque adeò Barbaræ, quæ hoc sepulturae Jus ultro sprevere. Persæ,  
 Indi, aliique demortuorum corpora partim Canibus, quos ad id aiebant, partim  
 feris bestiis projiciebant Idem de Bactrianis, Parthis, Massagetis, Colchis, & quis  
 omnes enumeraret! passim ab Autoribus fide dignissimis proditum legimus. *Osiand.*  
*ad Grot. lib. 2. c. 19. Kirchman. de Funer. Roman. in Appendic. Resin. Antiq. Roman. l. 5. c.*  
*39. ibiq; Demsterus. Alex. ab Alex. Geneal. dier. lib. 2. c. 7. ibiq; Tirag.* Accedunt Philo-  
 sopherum maximi suo tempore nominis & authoritatis, qui susq; deq; Sepulturam ha-  
 buère. Sic referente *Cicerone. Tust. Quest. 1.* Anaxageras Philosophus morti vi-  
 cinus, interrogantibus amicis, quem sibi locum Sepulturae eligeret, num in patria  
 an extra eam sepeliri vellet, *nihil necesse,* respondit, *quod undiq; ad inferos tantundem*  
*est.* Idem Diogenes ille Cynicus, de quo Alexander olim Magnus, se ni Alexander  
 esse, lubentissime Diogenem fore, aiebat; *inhumatum se abjici voluit,* appositò solum-  
 modo baculo quo abigeret feras; *ratus, si à canibus discerperetur,* Sepulturam se nancisci  
 Hyrcaniam; *si à Vulturibus, Iberiam, sin nullum animal accederet, ipsum tempus pulcher-*  
*rimam*



rimam esse sepulturam, corpore sc. à pretiosissimis rebus, sole & imbribus absumpto; irridens illorum, qui nimiam curam sepulturae angerentur, curiositatem. Eiusdem farinae est illud Poetae Lucani effatum: *Facilis iactura sepulchri*, item: *Caelo legitur, qui non habet urnam*; quod repetitum leges in excerptis Senecae p. m. 716. Quamvis autem ad salutem nihil prosit, sive quis Sepultus sive inhumatus jaceat, ut constat ex Augustino lib. de Cur. suscipiend. pro mort. ut aliorum auctoritates silentio involvam, haec tamen speciosè magis quam verè sese habere, quivis facile perspexerit, ut omninò cogar calculum adjicere illorum sententiae, qui Juri adscribunt Gentium Secundario; cum apud Gentes moratiores in usu fuisse ut honestè & decenter suos sepelirent, omnè testetur ævum. A sacra enim Scriptura ut principium accessamus: quis adeò in ea hospes, ut ignoret sepulturam Saræ, Isaaci, Jacobi, aliorumq; Sepulchra Regum magnificè alibi elata legas, ita, ut Asininam minetur sepulturam quibusdam poenæ locò DEUS. Athenienses, Romani, aliaq; moratiores Gentes magnificè in extruendis sepulchretis & monumentis se gessere, passim id testantibus Historicis vid. Alex. ab. Alex. l. 6. c. 14. Adeò, ut & pecorum sepulchra & exequias in veteri reperiamus Historia. Sic Alexander suo duxit bucephalo exequias, Agrigentini equis sepulchra & pyramides jecerere. Augustus quoque Octavius & postea Hadrianus Caesares equo tumulum fecisse traduntur. Kornem. de miracul. mort. part. 7. c. 14. Neque superioris instituti desunt rationes admodum prægnantes, cum inventum videatur, partim ne fœtor & horror sit vivis, partim ut luctus eorum, qui suis orbat, leniatur, & Superstitibus ad benè fortiterq; rem gerendam aimentur, quas Melchior Junius Quæst. Polit. lib. 3. qu. 109. ad quem cupidum Lectorem remitto, ordine congessit. Humanum porrò genus, censente Feldenò in Not. ad Hug. Grot. lib. 2. c. 19. ad occultandam naturæ crudelitatem, abscondere, & ab oculis hominum remove demortuos solet. Licet autem de iis sua morte qui obière, tam clara quam quæ clarissima, tamen non sine causa Gentibus dubitatum videmus, dignè à quo honore isti censerì mereantur, qui vel sibi violentas intulère manus, vel jussu Magistratus capitis pro meriti poenam, cum teste Alex. ab Alex. lib. 6. c. 14. p. m. 353. ii, qui mortem sibi conscivissent, aut malè de Republ. meriti supplicio essent dignò affecti, aut si qui laqueo aut morte inhonestà aut malò lethò occubuissent, sepulchro condi seu humari haut decuisset. Sic, teste Nepote, Cimón se pro patre, ut is humaretur, in vincula ultrò conjecit. Egyptii, si quis pravus moribus vixisse contigisset, vastis solitudinibus exposuère Alex. ab Alex. loc. cit: Persas damnatorum corpora feris & canibus projecisse, proditum legimus, ut aliorum populorum ritus sicco præteream pede; ut & quod apud Lacedæmonios proprius fuerit locus iis adjudicatus, qui sepulturae honore indigni haberentur. Nep. in vit. Pansan. c. 5. n. 5. ibiq; Interpp. In quàm sententiam, & hodiènum cum non pauci nec ii ex infimis subselliis viri descendant, operam me haut ludere crediderim, si in gravi hac materia, quid Antiquitas hac de re senserit, sollicitus magis inquiram, ad quam egregiè ansam præbet prædicta Constitutio DIOCLETIANI & MAXIMIANI, quam tribus includam Capitibus, ita, ut præmissò textu primò exponatur In & subscriptio, Postea singula ejusdem verba; Tandemque verus ac genuinus Constitutionis sensus. Verba Rescripti hæc sunt:



jidem A A. & C C. Gaudenio

Obnoxios criminum digno supplicio subjectos sepulturae tradidit non  
veramus. Publicat. Id April. ipfis IV. & III. A A. Conf. 290.

CAP. I.

Inscriptionem & Subscriptionem Constitutionis continet.

§. 1. Inscriptio praesentis Constitutionis, designatione Imperatorum, qui hanc Legem seu Constitutionem emisit, & Consulens sive Subjecti recipientis, ad quem haec Lex scripta fuit, absolvitur. In Edit. Lugdun: de Anno 1652 Principes rescribentes non inveniuntur, uti ex illa Gothofredi patet, quae, quoad hanc Constitutionem, nullam Principum facit mentionem. Idem apparet si novissimam Amstelodam. intueamur, quae tamen nos remittit ad Legem praecedentem 10, ut non immerito quis inde de vero hujus Constitutionis autore & obligationis effectu dubitandi occasionem delumere posset. Ad praecedentem vero Constitutionem si oculorum aciem intendamus, DIOCLETIANUM & MAXIMIANUM praesentis Legislatores & autores oppido inveniemus. Confirmat id ipsum Hugo Grotius de J. B. & P. Cap. 19. num. 4. sequentibus verbis: DIOCLETIANUS & MAXIMIANUS Imperatores Ita responderunt: *Obnoxios criminum digno supplicio subjectos Sepulturae tradi non vetamus.* Ejusdem videtur esse opinionis Anthon: *Matth. de Crim. l. 48. Tit. 17. c. 6. num. 12. Utriusq. in super Imperatoris mentionem facit Perez. ad dict. l. 11. C. de Relig. & Sumpt. san. Carpz. lib. 2. Jurispr. Confess. tit. 24. def. 385. n. 7.* Proinde penes me nullum remanet dubium de veris praesentis Constitutionis Autoribus DIOCLETIANO sc & MAXIMIANO; quorum prior uti primas in Imperio tenuit partes, *Heidman. in Caesarib.* Ita quoque Constitutionis hujus Principalis merito praesumitur Autor. Posteriores quod attinet, illum non Galerium sed Herculeum fuisse & Historico- rum fide, & designatione. Imperatorum speciali, quorum nomina XII. *Lib. Cod. Prae-* posita deprehendimus, abunde satis edocemur.

§. 2. In Principum vitas & mores breviter admodum inquirentibus, ne uti- quam negligenda venit Historia, quam *Flav Vopisc. in vir. Numeriani*, qui testem a- vum suum laudat, cui ipse retulerat DIOCLETIANUS, recenset, quod a muliere Druide hospita, cum qua convictus quotidiani rationem faceret; avaritiae his ver- bis fuerit accusatus: *DIOCLETIANE, nimium avarus es, nimium parcus es.* Huic re- spondit: *Tunc ero largus cum Imperator fuero.* Druidas: *DIOCLETIANE joculari noli, nam Imperator eris, cum Aprum occideris.* Hic in spes sublati novae apris in Venatione, quoties facultas fuit, prostravit; Procedente vero tempore alium alii succedere in Im- perio cum videret, quasi vanitatem dictae Druidis irridens: *Ego, inquit, semper qui- dem occido apris, at alius fruitur pulpamento,* qui tamen tandem interfecto Arrio A- pro, necis Numeriani Authore, Imperio potitus. *Heidman. in Caesar. C. A Rupertus in Hist. Univers. p. m. 391. Pezel. in Mellific. Hist. part. 2. p. m. 402.* Obscurissime hic fuit natus, & ab aliis scribae filius, ab aliis Senatoris cujusdam libertinus perhibetur. Qui postea MAXIMIANUM fidum amicitiam, quamquam femiagrestem, Imperatorem. tonfortio adscivit, hominem sanguinarium & vecordem, uti passim ab Historicis



describitur. C. A. Rupert. in Hist. Univers. c. l. Uterque terribilis Christianorum hostis, ut & decima, eaque gravissima ipsis Imperatoribus, contigerit persecutio. Claver. Hist. Univers. p. m. 223. C. A. Rupertus in Observ. ad Besold c. 12. Horn. Hist. Eccl. & Polit. artic. 2. th. 25. Johan. Micrael. Syntagm. Hist. Mund. l. 2. Sect. 3. g. 34: Licet autem predicti Principes exiguam, imò nullam Ecclesiastici status habuisse curam videantur, prudenter tamen, & eà quâ Principem decet, animi industriâ secularem administrarunt potestatem, Imperiumque multis iisque gravissimis bellis petiitum ab hostium incursionibus non solum liberarunt, sed & saluberrimas multas Leges, quarum præsens Constitutio non infimum meretur locum, tulerunt; Et vel inde maximam promeriti laudem, quod tandem spretò Imperiò sese ultrò abdicaverint, *Sarmmeister. in Cæsareolog. Metr. p. m. 109. Pancirol. in præfat. notit. imper. Occident: exemplò sanè rarissimò, nisi quod præterito idem facitasse sæculo Carolum V. nostris autem temporibus Polonia Regem Casimirum, compertum habeamus.*

§. 3. Latæ Constitutionis causam impellentem quod attinet, crediderim casum obvenisse Gaudentio de Cadavere puniti sepeliendò. Qui, ne aliquid officio tanti viri indignum committeret, satius existimavit Principis sententiam desuper requirere, quàm pro suo arbitrio rem tam difficilem & publicam utilitatem concernentem dirimere, morem tunc temporis valdè consuetum securus, quod *vel X lib. Epist. Plin.* abundè nos docere potest, quem ut & hodie in arduis negotiis, & imprimis in Controversiis circa cadavera punitorum sepelienda vel non, Judices sequantur, Dd. passim monent. *Bened. Carpz. Pract. Crim. Part: 3. quæst. 137. num. 74. Jul. Clar. lib. 5. Sent. §. ult. qu. 100. num. 2. Petr. Theodor. Colleg. Crim. Diss. 10. §. 6. lit. C.*

§. 4. Consulentiis, sive ejus ad quem hæc Lex scripta est, nomen, voce Gaudentii, uti ex Inscriptione clarissimè patet, indigitatur. Quem verò Brixientem illum Episcopum, cujus quædam scripta in Bibliotheca Patrum extant, nentiquam crediderim, sed potius eum, cujus mentio fit in l. 6. Cod. de Contrah. Empt: eò quod ille ipse tempore DIO CLETIANI & MAXIMIANI vixerit, haut tamen firmiter affirmaverim. Quamvis autem usque adeò accuratè, de speciali ejus officio, quod sustinuit, mihi usq; dum non constet, præsumitur tamen illum habuisse merum Imperium, quia habuit Jus potestatemque animadvertendi in maleficos, & reos criminum, de quorum Sepultura in propositâ hæc Constitutione quæritur. Quæ sine dubio de Jure Civili, ordinariæ Jurisdictionis non est, quandoquidem in cognitione causarum Civilium ordinaria Jurisdictio consistit, Dd. *ad l. 3. ff. de Jurisdic. Matib. Coler. Proceß. Execut. part 2. c. 1. num. 120.* Sed specialiter vel Lege, vel Scto vel Principali Constitutione competit l. 1. ff. de Off. ejus cui mand. est Jurud. Et cum persona extinguitur. *Carpz. Pract. Crim. Part. 3. qu. 109. num. 8.* Atq; adeò mandari non potest, neque mandata jurisdictione transfertur. *d. l. 1.* Nostris verò moribus sub Jurisdictione alta seu suprema, *Gerim. Ober-Berichte/Peinliche-Berichte/item Hals-Berichte/Blutbanc,* & inferior continetur, *Carpz. Pract. Crim. part. 3. qu. 109. num. 23. Schnob. D. 2. ad lib. 2 ff. th. 2.* Ut adeò eà qui gaudet, plerumq; insimul inquirendi, corrigendi, puniendi sepulturamque punitorum concedendi facultatem ac potestatem habere merito videatur. *Vwebner. Observ. Pract. voc. Genz.*



§. 5. Inſcriptionem excipit Subſcriptio, quæ licet regulariter **LOCI** quæ  
**TEMPORIS** quando, emiſſa fuerit hæc Conſtitutio, accuratam delineationem con-  
tinere deberet, tamen cum quoad prius in præſenti Conſtitutione nihil certi expri-  
matur, locum fuiſſe exiſtimarim Byzantium, argument. *ſubſcriptionis l. 4.*  
*Cæde Obligat. & Actio l. 4. C. de condit. indeb.* quam Urbem poſtea titulis  
& honoribus ornavit Conſtatinus Magnus, eamq; novam Romam habendam cen-  
ſuit, id eſt lege ſanxit, deductis illuc multis antiquorum Romanorum Familiis. *Chri-  
ſtoph. Pezel. in Mellif. hiftorie. p. m. n. 85.* Quanquam enim M. Antonius & L. Verus pri-  
mi imperare ceperint, *Par. iroll in præfat. not. Imper. Occident.* nullam tamen divi-  
ſionem Provinciarum fecere, quam poſt **DIO CLETIANI & MAXIMIANI** tem-  
pora demum factam eſſe demonſtrare conatur ex *Aurel. Viſt. de Caſar. Panciroll. d. l.*  
*Temporis* rationem detegunt ſequentia ſigla **P. P. VIII. id. April. ipſis IV. & III, AA. Conf.**  
**290. h. e.** Publicatum octavo Iduum Aprilis, qui ſecundum noſtri temporis computa-  
tionem incidit in quintum diem Menſis Aprilis, ipſis Conſ. Auguſtis, uti ex ipſo  
Textu nec non Fallis Conſularibus colligere licet, ſub annum Chriſti 290. Urbis con-  
ditæ 1042. Mundi 4279. *Calviſ. in Oper. Chronol. p. m. 526.*

## CAP. II.

Singula verba & Phraſes Conſtitutionis explicat.

§. 1. Viſis hæcenus quæ ad majorem Reſcripti intellectum faciunt, puta in &  
*ſubſcriptione*: ad verborum enodationem protinus me confero, genuinam enim Le-  
gis ſeu Conſtitutionis ſenſum investigato verborum & phraſium explicatio adeo  
eſt neceſſaria, ut vix ac ne vix quidem, ſine ea Legem quis intelligat. Ubi primò in-  
tuitu vocabulum *Obnoxius* à præpoſitione ob & noxius, noxia, noxium compoſitum  
occurrit, uoxius autem à noxia, de quibus vocabulis conſulendi Valla *elegant. latin.*  
*ſerm. l. 6. c. 36. & Auſon. Popm. de Different. verb. l. 3. p. m. 20.* derivari Lexicographi  
notant. *Cujus enodationem neceſſariam eſſe, vel Diſputatio 2. Gellii cum ſupercilioſo illo*  
*Grammatico N. A. lib. 7. c. 17. ſatis innuit.* Miſſis iis quæ ab ipſo Grammatico exiſtiman-  
te, eum dici *obnoxium* cui quid ab eo, cui eſſe *obnoxius* dicitur, incommodari & noceri po-  
teſt ei qui habet aliquem noxæ, id eſt, culpæ ſuæ conſcium, nec non Lexicographis, qui  
multariam hanc vocem *obnoxii* interpretantur, vid. *Caſep. in voc. Obnoxius*, affe-  
runtur, triplicem ejus Vocis ſignificationem notandam exiſtimo (1.) ſumitur pro  
cuiſlibet rei *obnoxio* & tam de perſoni, quam rebus prædicatur. De Perſonis apud  
Terent. ut: tum uxori ſam *obnoxius* ita me ſuo ingenio pertulit h. e. obligatus pro-  
pter beneficia. De Rebus ap. Fabr. in Lexic. ubi dicitur res pignori *obnoxia* G. Ver-  
pſandet. (2.) pro eo, qui vinculo Obligationis ex contractu eſt obſtrictus *l. 9. C. De*  
*præſcript. 30. l. 40. annor.* Quando verò eadem ferè delictorum, quæ contractuam eſt  
matura, undè quemadmodum ex illis, ita ex his alios nobis habemus obligatos, (3.)  
eum *obnoxium* propriè dicimus, qui pœnæ ob delictum eſt obligatus, quam vocem  
ita interpretatur *Fefſtus*, vel potius *Paulus ex Feſto p. m. 132.* huiusque videtur eſſe loci.

§. 2. **OBNOXIOS** excipit **CRIMEN**: Quænam vocis huius ſit origo anxie à Gram-  
maticis diſquiritur. Alii vocem **Criminis** deductam volunt à **Carendo**, ut **Furtum**,

A 2

Fallitas,



Fallitas, ob id, quod alter ipso crimine commisso carere incipiat &c. quæ non occi-  
 dunt sed in famant. *Isidor. Hispal. Episc. Orig. l. 5. c. 26.* Alii à Cerno, crevi, cretum cer-  
 nimen deducunt, quod subindè per usitatam vocalium extricationem dixere Crimen.  
 Quicquid autem de Etymologia hujus vocis adduci possit, arridet mihi sententia  
 eorum, qui Crimen à Cerno, quemadmodum discrimen à discerno derivant,  
*Nicol. Perott. Cornucop. Column. 646.* Licet autem variis modis Crimen accipiatur,  
 nonnunquam pro ipsa accusatione & criminatione uti ex *Ulpiano l. 7. prin. §. 1. ff. de  
 accusat. Dn. Rebhan.* Præceptor meus multis venerandus nominibus ostendit in  
*Hodog. Jur. Chart. 2. Clim. 4. par. 4.* nonnunquam pro delicto privato. *l. 7. de publ. ju-  
 dic. communiter verò pro delicto publico l. 1. d. l. 7. & l. 1. de publ. jud.* Imò promiscuè  
 hæc vocabula in jure usurpari claris admodum textibus edocemur *l. 1. ff. de Publ.  
 Jud. l. 5. §. ult. ff. de Pœn.* ratione tamen diversorum inde profluentium Judiciorum,  
 Crimina eleganter non solum distinguuntur, sed & Delictis, opponuntur. *l. 2. §. 8.  
 C. de Jur. vei. enucl. l. 1. 7. §. 18 ff. de. Edil. edict.* Quà ratione denique Crimina differant  
 à Delictis, nempè respectu Subjecti, Objecti, Formæ, Finis, artificiosè collegit prædi-  
 ctus *Dn. D. Rebhan. c. l. Tab. parisi. Elem. ult. tb. 12.* Mihi itaque est: Crimen, capitale des-  
 lictum, sanguinis pœnam ingerens. Capitale dicitur Delictum eò sensu, qua-  
 tenus de vita & Spiritu hominis adimendò agitur *l. 22. C. ad L. Corn. de Falsis l. 6. C. ad L.  
 Jul. de Vi Publ. l. 18. C. de Transaction. l. un. C. de mul. quæ se propr. Serv. junx.  
 Necessum verò est, ut adsit delictum, h. e. ut ipsum factum sit commissum,  
 nemo enim cogitationis pœnam patitur *l. cogitationis ff. 18. de Pœn.* nec delictum  
 nudà Cogitatione in foro Civili committitur, sed ratione eventus punitur. *Anton.  
 Matth. de Crimin. ad l. 48. ff. Tit. de Sicar.* Criminum Divisiones, quæ adjiçienda re-  
 stant, tradunt *Mollenb. in Divis. Jur. Anton. Matth. de Crim. c. 4. in Prelegom. aliq.**

§. 3. Criminis obnoxius conjunctim dicitur, qui præcedentibus legitimis in-  
 ditiis, sine quibus nuda confessio, eaq; millies & judicialiter repetita inutilis. *Mynsing.  
 Cent. 5. Observ. 13.* convicto vel adhibitâ torturâ confessus delictum condemnatur, atq;  
 ad eò pœnæ propter delictum est obligatus: Utrum autem unicus Testis legitimus  
 ad torturam faciat indicium, quæstionis est? In conflictu multorum Dd. nonnulli Af-  
 firmativam, quæ & Communis audit, nonnulli Negativam amplectuntur sententiam.  
 Affirmativam qui tenent, nituntur imprimis *l. ubi numerus 12. ff. de Testib. arg. l. 1. §. ult.  
 Testam. quemad. aperiant l. 14. ff. de Dot. præleg. l. 21. C. ad L. Corn. de falsis. c. super eo 22,  
 X. de testib. l. 3. C. ad L. Jul. Majest. Barr. & Bald. in l. 26. C. fam. erisc. Franzk. tract. de  
 Torneam. c. 6. rubric. de non torquendo per indicia nisi plene probata; ubi etiam ex hoc  
 conatur inferre, quod si indicium proximum sit per duos testes probatum, non esse  
 locum amplius torturæ, sed ex concludente probatione condemnationi, referente sic.  
*Prosper. Farina. Prax. Crim. l. 1. Tit. 5. qu. 37. num. 4.* Quam plurimis quoque ita pla-  
 cet interpretibus *ad l. 9. C. de Testib. existimantibus* propterea esse adjectum vocabu-  
 lum facile, ut aliquando unius testimonio stari possit. *Anton. Matth. de Crim. ad it. 48.  
 c. 3. tit. 15. num. 3.* Quorum numero inter aliòs est Zieritius, nec non alii ab eo allegati,  
 a dferentes unicum testem. sufficiens facere indicium per *Constitut. Crim. Car. V. art.  
 20. Eine halbe Beweisung/ &c.**



§. 4. Negativæ verò qui insistant Viros Doctissimos & Clarissimos adducunt, qui existimant, hanc Juri Divino Civili & Canonico alterà convenientiorem, magisq; consuli scientiæ credunt, si unius hominis testimonio nullatenus quispiam Torturæ subjiciatur, maximè cum debeant indicia esse, non solùm vero similia probabilia, clara, sed & certa, h. e. duorum saltem testimonio probata. *Mench. de arbit. Judic. quest. casu 270. num. 23.* & in genere suo conclusentia. *Prosper. Farinac. in Prax. Crim. lib. 1. tit. 5. qu. 37. num. 13.* adedq; concludunt fallax esse testimonium unius per loca Sacraescripturæ *Deut. 17. v. 6. c. 19. v. 15. Matth. c. 18. v. 16. Numer. c. 35. v. 30. Job. 8. v. 17.* & infirmum unius esse Testimonium ex jure Civili, quod quandoq; amplissimum testium numerum exigit. *l. 1. §. ult. ff. de testib.* ostendunt, unumq; testem quamvis præclaræ curiæ honore fulgeat, non audiendum docent *l. Jurisjurandi 9. §. 1. C. de Testib. & ad eand. Brunnem. Donellus lib. Comment ad l. Maritus 20. ff. de quæstion.* Hinc unicus testis immediatè de delicto deponens, per Eos, indicium non facit ad torturam, nisi famâ concurrente, vel alio aliquo adminiculo, ut ex *Marsilio in Prax. §. Diligenter. num. 5. Prosper. Farin. in Prax. Crim. l. 1. tit. 5. qu. 37. num. 55.* docet. Et cum superius dicta habeant locum in causis Civilibus, ubi pecuniæ periculum tantummodo subest, maximè valere puto in Criminalibus, ubi de vita hominis adimenda agitur in quacunq; enim causa nemo judicum unius testimonium facile admittere debet. *l. 9. C. de Testib.* Præterea statuunt, non temerè sed consultò leges esse usas numero pluralivo. *Antho. Matth. de Crim. ad lib. 48. ff. c. 3. tit. 16. n. 8. Hilliger. ad Donell. per. l. 20. ff. de Testib.* Rectè quoque evinci idipsum ex Canonicis sanctionibus posse, autumant, per *c. licet ex quadã. X. de testibus.* Consuli de hâc materia præterea poterunt. *Scallerus. Diss. de Tortura in Christiana Rep. non exercend. th 5. p. 33.* qui etiam, *art. 30. C. C. C. V. pro se allegat. Bocer. de quæst. & Tortur. cap. 31. num. 92. Finckethaus. Observ. 22. num. 2. idem. Obs. 85.*

§. 5. Conciliari has opiniones posse nonnulli credunt, Distinguendo inter eum testem, qui vel omni exceptione major, & tunc sufficere ejus testimonium absq; aliis indiciis & conjecturis; vel qui non omni exceptione major est, & tunc alia indicia esse necessaria. *Jacob. Menoch. de Præsumpt. l. 1. qu. 89. num. 11.* Alii hanc litem dirimunt, accuratiùs Paulò secernentes Probationem indiciorum à Probatione ipsius delicti atq; aded largiuntur, indicia ad torturam sufficientia, non nisi per duos probari testes, per expressa verba *C. C. C. V. art. 23. in pr. : Eine sede gnugsame Anzeigung/ darauff man Weidlich fragen mag/ soll mit zweyen guten Zeugen bewiesen werden / & art. 30. in fin. : Aber so einer redliche Umstände/ Wahrzeichen / Anzeigung oder Verdacht beweisen will / daß soll er zum allerwenigsten mit zween guten tüglichen unverwefflichen Zeugen thun.* Unicum verò testem omni exceptione majorem de ipso delicto immediatè deponentem & rationem dicti per sensum corporeum reddentem, indicium ad torturam facere. *Prosper. Farin. in prax. Crim. lib. 1. tit. 5. qu. 37. num. 58. Art. 23. in fin. & art. 30. Const. Crim. Carol. V. Aber so einer die Hauptsache der Missethat mit einem einzigen guten tugentlichen Zeugen beweiset/ das heist und ist eine halbe Verweisung/ und solche halbe Beweis thumb macht eine redliche Anzeigung Argwohn oder Verdacht der Missethat. Carpz; Prax; in Crim: part: 3. qu: 121. num: 13. Ca. 6.*



§. 6. Quid si reus nullis legitimis indiciis precedentibus, vel non extante delicti corpore tortus, confessus fuerit delictum? Ex sola confessione neminem esse condemnandum refert *Möller. l. 3. Semestr. cap. 4. in Princip. Mynsing. Cent. 5. Observ. 23. Gail. lib. 1. de pac. Publ. cap. 15. num. 8.* Nam sicuti ad torturam non debet deveniri, nisi precedentibus legitimis indiciis, ita pariter hæc confessio metu tormentorum facta, nullam condemnationis effectum habere potest, unde recte sufficiens confessio est partis libera, non metu periculo facta. *Gail. d. supral. Ord. Carol. V. Crim. art. 20.* Unde ob auch gleichwol aus der Marter die Missethat bekandt würde / so soll doch der nicht geglaubet / uoch jemand darauff verurthelet werden. *Zang. de quest. & Tortur. c. 2. num. 9. Prosper. Farin. Prax. Crim. lib. 1. tit. 5. qn. 27. num. no. eamq; Sententiam omnes und ore proferre Möller d. supr. loc. asserit Satius enim est impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem condemnare. l. 5. in princ. ff. de pæn. & præstat in dubiis dimittere nocentem quam innocentem damnare. Gomez. Var. Resol. cap. 13. ann. 15.* Hujus rei elegans quoddam præjudicium de Nobile quodam commemorat *Schepliz. ad Præsumptuar. Clamer. tit. 44. §. 4.* qui propterea, quod quendam de homicidio uxoris suæ suspectum ob solam confessionem in tortura factam, ordinariæ Legis Pompejæ pœnâ de Parricid. affici curasset (cujus tamen condemnati uxor post aliquod temporis spatium, factâ executione reversa) in 2000. aureos fuit condemnatus. Merito ergo ex in Dd. concludat, neutiquam reum esse subjiciendum torturæ & quæstioni, nisi aperte, liquide, & plenè constet de Corpore Delicti, utrum illud perpetratum sit nec ne, ne fortè perire volens falsum erimen confiteatur, se occidisse, cum non occiderit, aut aliqua probatio cognoscentis religionem instruat. *l. 1. §. 17. ff. de Quæstionib. Ordin. Crim. Carol. V. art. 6.* Darzu soll auch ein jeder Richter &c. Liquide autem & plenè dicitur constare de delicto, si de eò vel per testes, vel per evidentiam facti constet, veluti ut Testes dicant, se vidisse delictum perpetrari, aut Judex ipsemet inspiciat corpus occisum vel vulneratum *Carpz. Pract. Crim. part. 3. qu. 148. num. 46.*

§. 7. An verò sanguis e cadavere interfecti, præsentè eò, qui de Homicidio suspectus est, stillans, sufficiens faciat ad torturam indicium, & contra, an pro legitimo haberi possit. si ii, qui sunt suspecti, conspectò occisi cadavere, ex subita consternatione, sanguinem e naribus emittant, jure quæritur? Compertum est, non solum post aliquot horarum spatia, sed etiam post aliquot dies & menses, sanguinem ex occisi cadavere, præsentè occisore, fluxisse, idque inter alios *Boërius. Delic. 166. num. 1. & Lemn. de occult. rer. mirabil. lib. 2. c. 7.* multis illustrant exemplis. Quæ taceo, & unum adduco memoratu dignissimum, de Cosmo Magne Hetrurix Duce: Cui inter alios liberos erant duo filii, quorum minimus natu Garsias, Johannem fratrem jam tum Cardinalem vix 16. ætatis annum supergressum ex puerili æmulatione atrocissimo odio diu nutrito inter venandum, cum seorsim à Sociis per devia unus in alium incurrisset acinace cominus transverberaverat. Cadavere inter vepreta invento, teque ad COSMUM Parentem delatà, is suspicatus, quod erat, cadaver multà nocte in urbem inferri, & in conclavi ædibus suis proximo collocari jubet, tum ad conclave venit, & ad se vocatum Garsiam, ac de fratre interrogatum, cum factum.



illud pernegaret, ad cadaver accedere jubet, eoque renudato, & cruore ad percussoris conspectum mox ebulliente. En, inquit, *Sanguis fratris tui, qui ultionem a DEO atq; etiam a me deposcit.* Tum fatente crimen Garfâ & rixa principium dedisse Johannem affirmante, ita ut nisi peste fratris, salutem propriam expedire non licuerit, Cosmus, qui mite Johannis ingenium notet, pugionem quò ille fratrem confoderat, & adhuc cinctus è venerat, supplici eripit, nudumque stringens, *hodie, inquit, pestem domesticam, ne latius exemplo serpat, e visceribus meis avellere decrevi, & quamquam dulcissimi filii eadem, non nisi alterius filii moribus disparis cæde expiare possim, malo me posteritas infelicem, ac durum patrem prædicet, quam imprudentiæ & iniquitatis arguat.* Quo dicto DEUM precatus, ut factum comprobaret, & fonti filio delicti gratiam faceret, eum eodem pugione, quo fratrem confecerat, juxta Johannis cadaver interfecit: ut hæc ex *Jacob Aug. Thuano lib. 32. Histor: refert, Brunnem. in præfat. profess. inquisit.*

§. 8. Causam emissionis sanguinis, naturalem faciunt Antipatiâ, quam inter occisorem & occisum esse putant, & divinam revelationem, cui tale naturæ secretum attribuunt. Quamvis verò hoc indicium credibile æstimet Jacob. Menoch. *de arbitrar. Judic. Questionib. lib. 2. Cent. 3. Cas. 270. num. 16.* Atque adeò in hanc sententiam descendat propter certas rationes, cur sanguinem emittat cadaver, & negari non possit, si Boerio & Farinacio fides habenda, multos ex tali indicio fuisse captos, tortos, delictum confessos, denique definitivè condemnatos; Nihilominus tamen, quia hæc experientia fallax reperta est, nisi concurrentibus aliis adminiculis, pro non sufficiente ad torturam, quæ est res magni præjudicii, indicio habetur. *Zanger. de Quest. & Tortur. cap. 2. num. 160. Anton Gomez. de Tortur. reor. cap. 13. n. 15.* Hinc rectè concludo cum *Antho: Matth. de Crim. ad l. 48. ff. tit. 16. cap. 3. num. 12.* existimante sapientis judicis non esse, incerto experimento credere quòd certà ratione dirimendum est. *Carpz. Pract. Crim. part 3 q. 122. n. 33. 34 & c.* quod autem de naturali antipatiâ inter cadentem, & cæsi cadaver à plerisq; adducitur, id tam facilè rejici, quàm dici posse, affirmat prædict. *Anton Matth. loc. cit.*

§. 9. Dignum porrò in textu dicitur, quod poenam meretur idoneam, illud quippe in genere perhibetur dignum, quod meretur aliquid, ut dignum præmiò, laude, dignum flagris, castigatione, &c. *Nicol. Peroll. in Cornicop. column: 645.* Ubi quoque duplex hujus vocis derivatio reperire est. *Dignum sequitur supplicium*, aliis à plica dictum ac derivatum, Germ. *Eine Falte an einem Kleide/ Indè supplex. G. der sich unter einem falte/ attingendo ejus genua, ac ea quasi adorans manus tendendo.* *Nicol. Perott. d. tract. column: 933.* Supplices verò cur ad genua ceciderint, eaque attigerint causâ affertur, quod illa misericordiæ consecrata essent, ut dextra fidei, aures memoriæ, frons pudori seu genio, digiti Minervæ. *Pontan. Progymnasm. lib. 1. §. 15. pag. m. 17. Brisson. Formul. l. 8. p. m. 739* Sumitur autem supplicium (1) pro Supplicatione. G. *Eine demüthige Bitte/ die mit gefalteten Händen geschieht* (2) Pro loco supplicii *Corvin. Font. Lat. (3)* Pro poena capitali speciali. G. *Eine straffe/ eines Uebelthäters darzu er nieder knien muß/ wie zum Köpfen/ & olim zum Fallbeil. Nonn. Marcel. de propriis. Serm. c. 4. §. 433. (4) pro supremo quovis supplicio, sic Virg. l. 4. Æneid:*

B

Mediv



Mediis siquidpiã uumina possunt  
Supplicia hausurum scopulis &c.

Supplicium autem hic placet describere, quod sit pœna mortis, quã capitalis criminis reus sententiã iudicis definitivã afficitur. l. 28. pr. ff. de Pœn. Pœnam mortis nos intelligere, vel inde apparet, quia de Supplicio subjectis quaritur, utrum sint Sepeliendi vel non?

§. 9. Hinc non obscure intelligitur DIGNUM appellari SUPPLICIUM, pœnam crimini conformem. Cujus accuratior enodatio, ab explicatioe causã, personã, loci, temporis, qualitatis, quantitatis, eventus, proponitur l. 16. ff. de Pœn. & l. 6. pr. ad l. jul. pecul. quã has circumstantias in delictis puniendis observandas docent; Causam delicti quod attinet Iudex ad illam diligenter respiciat, ne quid durius, vel remissius quam illa deposcit, constituat, nec enim aut severitatis aut clementiã gloria affectanda est, sed perpenso iudicio prout quãq; res exoptulat, statuendum est l. 16. §. 2. junct. l. 11. pr. ff. de Pœn. Personarũ rationem suo modo in iudiciis esse habendã legum autoritate edocemur l. 16. §. 3. l. 28. §. 2. ff. de Pœn. l. 16. ad l. Corn. de Sicar. l. 4. C. de Injur. Quid de loci observatione notandum, satis id colligitur ex d. l. 16. §. locus facit. ff. de pœn. d. l. 6. pr. ff. ad l. Jul. Peculat. Quomodo tempus in delictis puniendis attendi debeat, & eius ratio in admisso delicto considerari, ex eadem l. 16. §. 5. ff. de Pœn. & d. l. 6. pr. Satis colligitur. In ferendis denique de admisis criminibus sententiis Iudex ad qualitatem, quantitatem & eventum, de quo ultimo jam superius, respiciat. l. 16. §. 6. 7. 8. ff. de Pœn. Petr. Gregor. Tholosan. Synagm. Jur. Univ. l. 39. cap. 2. num. 6. & seqq.

§. 10. Ut inoffensò pede, in explicando textu tantò melius progrediamur, rectè inquirimus in vocem Sepultura, communiter à sepeliendò, in sepulchrum inferendò, humò coniecta contegendò deductã Calvin. in Lexic. Et rectè meã sententiã, cum a supino sepulchrum, sepulturam derivari nemo non videat. Tribus autem potissimùm modis sepultura accipitur (1.) pro loco religioso quo mortuus inferitur & ipso sepulchro cap. abolende 13. X. de sepultura can. aurum 70. caus. 12. qu. 2. ibi nemo potest dolere, quemadmodum & ipsam sepulchrum pro loco sepulturã sumitur l. 3. §. 2. ff. de Sep. violat: quã ratione sepultura Germanis dicitur: Eine Begrãbnis/Erb. Begrãbnis (2.) pro officio quod impenditur sepeliendis mortuis cap. non fati 8. & cap. cum in Ecclesia 9. X. de Simonia. (3.) pro ipsa illatione seu forma solennibusque Sepulturã l. 2. §. 3. & l. 5. ff. de relig. & sumpt. funer: Quo in sensu nobis Sepultura est actus Sepeliendũ mortuos l. 39. ff. de Relig. & sumpt. funer. sumtò vocabulò sepeliendi specialiter pro humo contegendi, ut is intelligatur Sepultus, qui terrã vel humo est conditus. Plin: Hist. Natur: lib: 7. c. 54. non generaliter, pro eo qui quoquo modo est conditus. Oculorum quippe aciem ad funebres Gentium ritus intendentibus occurrit Kirchman. de Fun: Rom. l. 1. §. 1. ostendens duo genera sepeliendi mortuos Romanis in usu fuisse, combustionem sc. & humationem, à qua tamen sententiã discedit Plin: all: supr: locò. qui expresse affirmat, ipsum cremari apud Romanos non fuisse veteris Instituti, sed terrã conditos fuisse mortuos, protinus subjiciens causam combustio- nis, eam sc. tum damum fuisse institutam, postquam longinquis bellis obrutos e-



ru cognovere; qui tamen subinde à Kirchmanno reprehenditur, ipsum Plinium se suo gladio jugulare, asserente, dum *lib. 13. c. 12.* Rogum scribit vino aspergi à Numa Rege vetitum, cujus ritus tollendi causam Numa non habuisset, nisi humatio, & combustio apud Romanos obtinuissent; Pro dicto ceterum Kirchmanno fidem faciunt Taciti verba *lib. 16. Ann. de Pompeja.* Corpus non igne abolitum, ut Romanus mos. Taceo Virgilium & Ovidium quorum ille, urbe nondum condita, ritus cremandorum cadaverum meminit *l. 11. Aeneid.* Hic ipsum Remum sub initium Urbis conditæ crematum tradit *l. 4. Fastor;* vid *Kirchm. de jur. Rom. l. 1. c. 2. p. m. 11.*

§. 12. Sepultura non incommodè dividitur in Honestam & Inhonestam, Honesta est, quæ solennibus ceremoniis, iisque vel omnibus, vel moderatioribus pro cuiusq; loci consuetudine adornatur. *Carpz. Jurupr. Consist. l. 2. Tit. 24. def. 375. n. 1. & seqq.* cujus ritus multas tradit rationes *Korneman. de mirac. mori: part: 8. c. 14.* Quæ pauperibus propter paupertatem minimè deneganda *Carpz. l. 2. Jurupr. Consist. tit. 24. def. 374. nu. 10.* Quò in casu Canones vetant quicquam exigi, *c. quæst. est. 12. caus. 13. q. 2.* Quin autem à locupletioribus, ad sustentationem ædis aliarumque necessitatum, reatè quicquam petatur, oblatumque sine Simonix suspicionem accipi possit, nullum dubium, nostriq; omninò comprobant mores, *Carpz. l. 2. Jurupr. Consist. tit. 24. def. 391. Speckh; Cent. 1. qu. 6.* An autem consultius, loca ista Sepulturæ intra vel extra urbem destinentur, meritò, dubitatur. *Melch. Jun. Quæst. Polit. q. 100.* & plures alii concludunt rectius extra urbem, quàm in urbe homines sepeliri, exemplo Abrahami, *Gen. 29 & 20. Rahelis, Gen. 35. v. 19. Josephi, Jos. 24. v. 32. Lazari, Joh. 11. v. 30. & seqq. Josephi Aramathæi, Joh. 19. v. 41. Matth. 27. v. 60. Naimantanæ viduæ Luc. 7. v. 12.* aliorumq; Sanctorum, qui post resurrectionem Christi, tumulis relictis civitatem Sanctam ingressi sunt. *Matth. 27. v. 52. 53.* Quorum sententiam comprobat *l. 3. §. 5. ff. d. sepulch. violat.* Ubi poena statuitur 40 aureorum, tam in eos qui in civitate sepeliunt, quàm in Magistratus qui passi sunt. & *l. 12. C. de relig. & sumpt. suu: Imp. Dioclet. & Maximin.* relcripserunt mortuorum reliquias intra civitatem condi. jam pridem velutum esse, addita ratione, ne sanctum municipiorum jus polluat. Cui accedit salus publica, ne si mortui in civitate sepeliantur, ex putrescentium corporum conditoriis, vapores excitentur & erumpant, non sine damno incolarum. cum pestilens contagio inde facile oriri possit, quin & Reipubl. interest, diligenter præcavere, ne tandem frequentia & multitudine sepulchorum id efficiatur, ut civitas magis à mortuis quàm à vivis incolæ videatur *Carpz. Jurupr. Consist. lib. 2. def. 385. n. 3. 4. 5.* Ceterum Imper. LEO Nov 53. tam intra, quàm extra civitatem Sepulturas concessit. Hodie cuiuscunque regionis & civitatis diuturni mores respiciendi & juxta hoc quæstio hæc determinanda venit. *l. 32. l. 33. 35. ff. d. legib. Carpz. Jurupr. Consist. d. l. 2. def. 389. n. 13.*

§. 13. Inhonestæ Sepultura alia est levior, quæ absque ullis solemnitatibus ac ceremoniis ohn Besang und Klang/in loco separato extra cœmeterium vel intra illud ad parietes in angulo quodam, à vespilone peragitur, *Carpz. Jurupr. Consist. l. 2. def. 382. n. 2. 3. 5.* Alia gravior, quæ etiam Canina & Asinina appellatur, Ein Esels begräbnis/ *Jerem. 22. v. 19.* quando demortui cadaver à Carnifice in locum inhonestum & famosum projicitur, & vel sub patibulo, vel in alio brutorum cadaverib9, de-



stinato loco auff die Schinder grube/ terræ inferitur. *Carpz Jurispr. Confist. lib. 2. def. 375. n. 2. & def. 382. n. 1.* talis canina vel asinina Sepultura contigit quinq; Regibus à Josua captis. *Jos. 10. v. 27.* Goliatho *1. Reg. 17. v. 44. 46.* Jesabeli *4. Reg. 9. v. 10, 35, 36.* Jerobeam. *3. Reg. 14. v. 10. 11.* Simile quoq; Sepulturae genus aliis Impiis & flagitiosis hominibus Spiritus Sanctus minatur, quod ipsorum corpora in sepulcra honestè non sint inferenda, sed in sterquilina contemptim abjicienda, ut hac ratione Sepulturâ indigna volucrum & Bestiarum prædæ sint. *Jerem. 16. v. 4, 6. & 6. 22. v. 19. Esai. 14. v. 19, 20. Ezech. 39. v. 17. & seq.*

§. 14. Sed tempus monèt Analyfi huic nostræ Colophonem imponere. Verba ergò Constitutionis finalia sunt. NON VETAMUS: Ut ut autem vetandi vox variâs admittat significationes, ut passim apud Lexicographos videre est, hic tamen, non vetamus, idem denotat, quod concedimus, permittimus. Qua tamen permissione Imperator Gaudentio non infinitam, & illimitatam concessit potestatem. pro lubitu corpora defunctorum concedendi petentibus, sed potius tacitè subintelligitur limitatio, pro Circumstantiarum, uti infra ex subsequenti capite patebit; ratione, cum aliâs facilè Legibus usitatam apponere formulam potuisset, *jubemus.* Ceterum cum præter opinionem hoc nostrum excreverit caput, ad ultimum nos conferimus, operam datûri, ut genuinum Legis seu Constitutionis sensum, si non omni, aliquâ tamen ex parte, eruere queamus.

### CAP. III.

In Constitutionis genuinum sensum inquirît.

§. 1. Ut ad eruendum Legis sensum progrediamur, ordinis præscripti postulât ratio, quem sequenti complectemur Regula: *Damnatis ultimo supplicio, Sepultura non est neganda.* Maximi momenti rationibus non destituuntur, qui simpliciter hanc regulam intelligi, debere contendunt, *Brunneman. ad hanc Constitut. eamque juri tum Divino, tum Gentium & Civili, nec non Canonico convenire, cum & inducta quorundam locorum consuetudine hoc ipsum rectè obtineat, gravesque insuper pro ea adsint rationes.* Quod enim, ut inde initium sumamus, sacram attinget Scripturam, expressissimis id innuit verbis, locus *Deut. 21. v. ult.* nec obscurè hoc itidem colligitur. *ex Cap. Gen. 3. v. 19. Terra es & in terram revertèris.* De Gentium Jure hac de re egregiè & latè disceptat *Hug. Grot. de Jur. B. & P. lib. 2. c. 19. v. 4.* quem vel hic nominasse suffecerit. Jus Civile tam clarè disposuit, ut vix dubium, quoddam superesse etiam illis, qui nodum in scirpo quarunt, possit, ut enim taceam hanc Legem nostram, ubi consulendus *Brunneman. inspicatur l. fin ff. de Cadav. Punir. quæ Cadavera non debere manere insepulta flagitat.* Corpora eorum, qui capite damnantur, cognatis ipsorum neganda non esse, jam suo tempore, voluit Augustus & confirmavit *Ulpianus l. 1. ff. de iur. iur.* Imo Majores nostri maximum dedecus esse existimârunt, cadavera non sepeliri, teste *Pomponiô Jcto per l. 28. ff. de Relig. & sumpt. funer.* Et quamlibet nocentibus sepulturam non negari, humanum & pium dicitur. *l. 9. C. de Heret. & Maniche.* Hinc etiam meritò laudatur *Cicerô, quod neminem eorum, qui ob Conjuratiorem Catilinæ damnati erant, Sepulturâ privasset. Et Tac. l.*



4. *Annal.* Tiberium reprehendit, quod conjuratorum Sejani Sepulturâ cōhibitâ, for-  
tis humanæ commercium violasset; quod in tantum observatum, ut ipsi quoque  
inimici impium putaverint, si inimicorum vel suâ manu interfectorum, insepulta  
reliquerentur corpora. *Menoch. de remed. recuper. Possess. Remed. 1. num. 445. Hug. Grot.  
de Jur. B. & P. dict. cap. 19. §. 3.*

§. 2. Nec refragatur Jus Canonicum *c. questum. caus. 13. qu. 2.* quod vult  
maleficis de omnibus suis peccatis, puram confessionem agentibus, & dignè poenit-  
tentibus sepulturam non denegari, duplici adjectâ ratione, tum quod pro peccatis  
suis poenam extremam persolverint, tum quod DEUS bis in idipsum non judicet;  
Nec Honestas id tantum ob memoriam humanæ conditionis *l. 27. in pr. ff. de Cond.  
Instit. poscere, sed etiam Reipubl. salus, videtur, cum multa & gravissima incommo-  
da exin Reip. exoriri posse, quivis facile perspexerit. Quippe videmus, aërem cxin-  
facile posse infici, prætereuntes terreri, mulieribus gravidis partûs periculum sub-  
oriri. *Korneman: de Mirac. mort. part. 7. c. 6.* Aliaque innumera damna insequi. *Inde  
Cic' Tusc. Quest. 1. Horribile, inquit, est Spectaculum, hominem videre insepultum,*  
Cadavera etiam quàm citissimè Sepulturæ tradi, Reipubl. vel propterea interest, ne  
locotorem excitent, unde facile pestis aliaque morborum genera nascantur. *Carpz.  
Jurispr. Forens. part. 1. Constit. 28. Def. 39. num. 2. Tabor in Barbos. locuplet. lib. 3. cap. 1.*  
quod procedit, etiam si interesse privatorum prætendatur, cum id meritò cedat  
publicò. Præterea, ubi nullum amplius delictum ibi nulla amplius debet esse poenâs,  
at palam est, morte omnia extingui Crimina. *l. defuncto 6. ff. de publ. Judic. l. 2. C. si  
accus. mort. fuerit. Nov. 22. c. 20. Sebast. Medic. tract. Mors omnia solvit,* adeoque per  
consequens ipsa cessabit poena. Adde quod homo ad imaginem DEI conditus,  
non debeat adeò post mortem dehonestari; Accedit, quod mera in contrarium  
adducta consuetudo, sit quandoque barbara, proptereaque maximè rejicienda  
veniat. *Tab. Barbos. locupl. lib. 3. cap. 59. §. 5.* Et moderatio Christiana vix patiat  
ultra vitam favere *Zepper. de L.L. Mosaic. lib. 5. cap. 7. & Apocal. c. 11. v. 8. & 9.* refertur  
inter notas Antichristi, corpora defunctorum non sepelire; Quo etiam referri pos-  
set, quod anima (ex sententiâ quorundam Rabbiorum) puniri vexetur à Dæmoni-  
bus, usque dum Cadaver sepeliatur. *Osland. ad Grat. l. 1. cap. 19. th. 4. Observ. 2. p. 1100.*  
Imò gentiles itidem putarunt, animam non prius ad quietem pervenire, sed passim  
circumvagari. *Kirchm. de Fun. Rom. lib. 3. cap. 27.* Ut ita omnia Jura, ipsa-  
quoque humanitatis, & honestatis ratio flagitet, ut quòvis modò demortui Ca-  
daver terræ mandetur. *Theodoric. Coll. Crim. Diss. 10. th. 6. lit. C.* Unde Angelus in *l.  
2. C. qui restant. fac. poss.* Judices reprehendit, qui defunctorum corpora suspendi, ejusq;  
quem DEUS post mortem ad suum Tribunal citavit, corpus postea vexari, per mit-  
tunt, cum illud barbaram & inhumanam feritatem sapiat. *Stephan: de Jurisdic. lib. 1.  
cap. 6. num. 158.* nec hilum ab ea abit sententiâ *Brunnem. in Process. Inquisitor. cap. 9.  
§. 43.* Serenissimi Electoris Brandenburgici Constitutionem de Sepeliendis pu-  
nitorum cadaveribus referens.*



§. 3. *Limitatur & restringitur* prædicta Regula, si modò corpora ad Sepul-  
turam dari à cognatis vel aliis quibuscunque petantur, & permittantur. *l. 1. & ult. ff. de cadav. punit.* non obstante *Speckh. Cent. 1. qu. 9 §. 6.* qui putat, eò quod Lex præ-  
iens simpliciter & indistinctè Corpora punitorum, nullà habità petitionis mentio-  
ne, Sepultura mandari permittat, etiam simpliciter illam, sine petitione esse intel-  
ligendam, secundum tritum illud: Ubi Lex non distinguit, ibi nec nostrum est di-  
stinguere. Cæterùm priori ut veriori insistimus sententiæ, cum Lex nostra omni-  
nò ex aliis Legibus sit explicanda & imprimis ex *l. 1. & l. ult. ff. de Cadav. punit.* ubi  
Jcti, non aliter Corpora sepultura volunt tradi, nisi fuerit prius petitum & permis-  
sum, quò etiam omnes ferè inclinant, ad illam Legem qui scripsere *Dd. Wesenb. in-  
parat. ad d. 1. Coll. Argent. ibid.* Hinc altera suboritur quaestio, quà disceptatur: An-  
nè à solo Principe in Specie sic dictò, vel alio etiam Judice petendum cadaver  
sit? Priori subscribunt sententiæ, *Berlich. part. 5. Concl. 48. §. 26. Meijer. Coll. Jur. Argen-  
tor. ad tit. ff. de Cadav. Punitor.* in Consortium vocans *Wesenbecium & Heigium*, quo-  
rum posterior tamè ab hac sententiâ prorsus abit, & non solum Principis sed & Judi-  
cis mentionem facit, *part. 2. q. 37. n. 31.* & quàmvis nonnulli, velut, *Anth. Marthe de crim. ad tit. ff. de cad. pun. & Brunnem. in h. l. c.* dubitare incipiant, num consequentia illa  
quæ à deportatorum corporibus, ad punitorum corpora ex *l. 2. ff. de cadav. pun.*  
desumitur, satis sit valida: Eam tamen in tantum subsistere posse censemus.  
Neque Exemplum Pilati, qui inconsulto Principe corpus Salvatoris nostri *Josepho*  
petenti tumulandum, concessit, quicquam juvat, siquidem singulare hoc est exem-  
plum, de quo non temere est judicandum; Et quia *Pilatus* sese ritibus Judæorum  
accommodare voluit, quibus Lege erat interdictum, ne supplicio affectus in li-  
gno permaneret, in tanta temporis angustia Principem consulere haud potuit.

§. 4. Quàmvis autem satis benè sese superius tradita Regula habeat, non  
tamen fortè difficile erit repetire, qui contrariam veriorè putantes, eandem de-  
fensitare laborant, cum præprimis in Sacra quoque Scriptura quorundam malefa-  
ctorum, & punitorum cadavera non sepulta, sed à volatilibus cæli dilacerata legan-  
tur. *Genes. 40. v. 19. Kabaeh Cent. 2. decad. 2. quaest. 1.* Sic poenæ loco insepultos ab-  
jectos à *Josua* captos Reges, nec non *Goliathi* corpus & *Jesabelis* cadaver in-  
sepultum relictum supra jam *ib. 13.* commemoravimus. Nec huic sententiæ contra-  
riatur Jus Gent. utpote quò regulam salvis exceptionibus vult intellectam. Sic  
apud ipsos Hebræos nec non alias Gentes, *Grot. de J. B. & P. lib. 2. cap. 19. n. 1.* se-  
pultura jacturà quandoque cadavera maleficorum fuisse punita, ex *Josepho* demon-  
strat. Leges nostræ civiles Larrones famosos turcà figi volunt in locis ubi gras-  
sati sunt, ut illorum adspectu alii ab ejusmodi facinoribus deterreantur, & Solatio  
insuper agnatis & affinibus, ceterisque necessariis sit, eòdem locò poenam à facino-  
ròsis esse sumtam, in quo facinus perpetratum *l. 28. §. 15. ff. d. pan.* Evenit enim ut  
aliquorum maleficorum supplicia exacerbentur, quoties nimium multis hominibz  
grassantibus, exemplo opus est *l. 16. §. ult. eod.* Et sanè ipsa utilitas publica efflagi-  
tat, ut in cadavera reorum delinquentium interdum animadvertatur, in exemplum  
scil. & terrorem aliorum, ut recordatione illius poenæ à delinquendo cæteri deterre-



antur, & horror ejusmodi exemplis injiciatur, ne quis velit in eò deliquisse in quo & cadaver delinquentis ab omni reatu & poena haud liberum esse viderit *l. 6. §. 2. in fin. ff. d. pœn. Carpz. part. 3. qu. crim. 131. n. 30. 32.* Duplex enim poenæ finis [1.] Emendatio delinquentis *l. 20 ff. eod. tit. (2.) Exemplum & memoria punitionis d. l. 6. §. 1.* quo pertinet illud *Cic. lib. 1. offic.* poenis utimur contra delinquentes, ne quid posthac committant ipsi, cæteri verò ad delinquendum sint tardiores. Et *Platon l. 34. Georg.* convenit omnem qui ab aliquo rectè punitur vel ipsum fieri meliorem utilitatemq; percipere, vel cæteris exempla dare, ut illi poenas aspicientes, meliores efficiantur. *Hahn. in Wesenb. ad tit. ff. de cadav. punit.*

§. 5. Quin & Canonice Sanctiones jubent, 'ut, si Monachus, qui voto paupertatis, se omnium rerum possessioni abdicaverit, post mortem suam aliquid possedisse convincatur, ejus cadaver è sepulcro effossum in sterquilinum projiciatur, & in latrinam deturbetur, c. cum ad Monasterium X. de Stat. Monach. Ex quo satis patescit, cadavera punitorum non semper ad Sepulturam petentibus data fuisse, sed integrum quandoque Magistratui esse, pro qualitate criminis, ea sepultura non tradere, sed insepulta relinquere. Cui sententiæ et ego meritò subscribo, cum locum habeat in specie.

§. 6. (1.) In Crimine læsæ Majestatis, *l. 1. ff. de cadav. pun. in quo Rei plerumque vivi quadrupartitum dissecantur, quæ partes in quatuor viis celebrioribus omnibus prætereuntibus conspiciendæ suspenduntur, juxta Dispositionem Edictorum & Statutorum Carpz. in Pract. Crim. part. 1. qu. 41. num. 92. C. C. C. V. art. 124. Welcher mit Boshaftigkeit &c.* (2.) In iis, qui non ex furore vel melancholia, sed ex malitia, spe lucri forsân frustrati, vel pudore æris alieni, ne decoctores audire cogantur, sibi manus violentas inferunt, quorum cadavera meritò insepulta relinquuntur, & à carnificè per fenestras dejecta, vel sub limine domûs extracta in locum infamem & Cadaveribus destinatum projiciuntur & humanantur *Carpz. Jurispr. Consist. lib. 2. tit. 24. Def. 376. & 377. Osiand. in Hug. Grot. p. m. 1107. Petr. Heig. Qu. 37. num. 39. Richard. Dinoth. de Reb. & fact. memor. lib. 5. tit. de iis qui sibi mortem. Augustin. de Civit. DEL. lib. 1. c. 17. Lactant. Instit. lib. 3. cap. 18. Jacob. Menoch. de arbitr. Judic. Quest. lib. 2. Cent. 4. cas. 187. num. 31. & ab his allegati* (3.) In Homicidio, animo deliberato & ex proposito commisso, quod poenam rotæ meretur, *Carpz. Pract. Crim. part. 1. qu. 24. num. 16. Const. Carol. art. 137. ibi: aber nach Gewonheit ertlicher Zegend werden die fürschlichen Mörder und Todtschläger einander gleich mit dem Hab gericht. &c.* (4.) In Parricidio, in Parentes sc. commisso, in committentes tale delictum Imperatores Romani singulare Supplicium excogitarunt, ut, quos natura ipsa in officio retinere non posset, ii magnitudine poenæ maleficio submoveantur. Proindè poena culei in eos est constituta, cui cum gallo gallinaciò, cane, vipera & similia infuuntur, *l. un. C. de his qui parent. Occid. vel lib. quæ poena nec hodiè defuétude abrogata est, nisi quod loco simiæ, felis imponatur. Carpz. Pract. Crim. part. 1. quest. 8. num. 15. Berlich. part. 4. concl. 6. Ordin. Crim. art. 131. Theodoric. Diffur. 7. tit. 9. th. ult.* (5.) In Infanticidio, cujus poena eadem est quæ supra in Parricidio, ut Sacco inclusi in mare aut flumen proximum projiciantur, si verò regionis qualitas



Qualitas non ferat, supplicio Rotæ afficiantur, d. l. un. C. de his qui par. vel lib. occ. Carpz. Pract. Crim. part. 1. qu. 9. n. 3. Berlich. part. 4. concl. 7. num. 69. quamvis etiam consuetudine longavâ in Romano Imperio introductum, ut matres, infantulos suos post partum necantes, vivæ defodiantur, & stipide peracutò tranfigantur. Const. Carol. art. 131. Carpz. dict. quæst. 9. n. 25. (6.) In Assassio, cujus criminis convicti rotâ contunduntur. Carpz. d. tr. part. 1. quæst. 19. (7.) In Veneficio, cujus criminis reititio dem rotâ Carpz. de tr. part. 1. qu. 20. C. C. C. V. art. 130. Reæ verò aquâ puniri debent per d. art. (8.) In Maleficio, sicubi mediante expressâ abnegatione DEI, foedus cum Diabolo in initum, & vi illius foederis hominibus nocitum, quod abominandum scelus igne coercetur C. C. C. V. art. 109. Carpz. dict. tract. part. 1. qu. 49. num. 22. Theodor. Disp. 7. th. 6. circ. fin.

§. 7. (9.) In Incendiariis, quorum poena vivicomburium. Carpz. d. tr. part. 1. qu. 38. Anthon: Matth: de Crimin. ad lib. 48. ff. tit. 5. c. 6. n. 2. C. C. C. V. art. 125. (10.) In Insignibus Latronibus, qui poenâ Rotæ afficiuntur. C. C. C. V. art. 126. 130. & 137. §. 1. Carpz. d. tr. part. 1. qu. 22. & 23. Jnl. Clar. qu. 51. v. Sed hîc incidenter quero, & c. (11.) In Furto qualificato, cujus poena est suspendium C. C. C. art. 159. & 160. Carpz. part. 2. quæst. crim. 79. n. 5. & seqq. (12.) In falsam eudentibus monetam, quorum poena ignis l. 2. C. de fals. monet. Carpz. d. l. qu. 42. n. 22. Covarruv part. 2. Tom. 1. cap. 8. n. 4. C. C. C. art. 111. (13.) In iis qui in reatu mortui sunt, veluti si reus de crimine capitali vel convictus vel confessus & ad supplicium mortis condemnatus, antequam sententia executioni mandatur, mortuus fuerit, in cujus cadaver pro ratione admitti criminis animadvertendū, ita ut si crimen admissum sit gravissimum; veluti læsæ Majestatis, veneficii, incendii, latrocinii, cadaver ejus in exemplum & terrorem aliorum, vel publicè suspendendum, vel comburendum, vel rotæ affigendum. Farin. lib. 1. lit. 1. qu. 49. n. 78. Heig: part. 2. quæst. 37. n. 32. Clar. in prax. crim. §. ult. quæst. 51. Carpz. part. 3. quæst. 131. n. 41

§. 8. Quod è contrario attinet locum Deut. 21. v. ult. fuit illa Lex quadam Forensis, & cum hodiè sublata, ejus autoritate amplius non adstringimur. Locus Gen. 3. In suo manet vigore, cum suspensi, rotæque impositi, æquè in pulverem redigantur, licet non per primam, secundam tamen & tertiam mutationem. Ad Grotium dubia dilucidè respondet Osiander. Leges ex jure Civili depromptæ, firmo per me stant talo, tantumque abest, ut infringere resamam, nt potius in illa sim sententiâ, hodiè multoties rectè observari, cum petentibus vel ad Anatomiam, ut & hîc ante aliquod annos factum, vel ad Sepulturam sæpius tradi soleant, modo ne delicti obstet gravitas; Quâ occasione non intempestivè quæritur.

§. 9. An cadavera punitorum, Medicis rectè concedantur ad Anatomiam? Negativam qui tuentur sententiam, sequentibus inter alia nituntur Argumentis & rationibus: (1.) vix posse fieri, ut Anatomia, in contumeliam non tendat Amicorum & propinquorum, per ea quæ collegit Carpz. in Pr. Cr. part. 3. q. 137. n. 72. (2.) Crudelitatem involvere sectionem illam, quâ caro ab ossibus separata terræ mandatur. Korneman. de mtr. mort. part. 9. cap. 35. Quæ tamen neutiquam erit, amplectenda, præprimis causam publicæ utilitatis, cui inseruit Anatomia, si specte-



mus; Vix enim fieri poterit, ut Medicinæ artis cognitio (uti nec alterius alicujus artis scientia, absque ipsius genuini ac proprii Subjecti notione,) sine Anatomicâ sectione exacte comparari possit. *Speckh. Cent. 1. qu. 9.* Affirmativæ proinde inhæremus sententiæ, ob publicam utilitatem, cui Anatomia inservit. Melius verò & consultius hæc indifferenter non statuuntur, quandoquidem non jure scripto, sed consuetudine res nititur; atq; adeò Judicis arbitrio committitur, qui pro suâ prudentiâ consideret circumstantias familiæ, conditionis & dignitatis puniti, nec non temporis, quando ad dissectionem cadaver concedi debet, *Brunneman. Proceß. Inquisit. cap. 9. §. 44.* Qui tamen cum aliis monet, Judicem tutius agere, si hac de re Principem consulat. *Carpz. Pr. Crim. part. 3. qu. 137. num. 74. Meonh. de arbit. Jud. quest. lib. 2. cas. 283. Jul. Clar. lib. 5. sent. §. ult. qu. ult. Hahn. ad tit. ff. d. Cadav. Punir. Matth. Steph. d. Jurid. lib. 1. cap. 6. num. 14.*

§. 10. JUS CANONICUM non in omnibus esse receptum constat, & ad allatum locum notari poterit, punitos terræ quidem mandari posse, si modò non ob gravissimum puniti fuerint delictum. Ad Argumentum ab Honestate & memoriâ humanæ conditionis petitum respondet sæpius laudatus *Osiand. p. m. 110.* Quod incommoditates in Republicam exiis redandantes concernit, illæ certè tantum sunt, ut propterea mos valde utilis extirpetur, cum vix tanta sit strages punitorum, ut aer inde inficiatur, & sitale quid metuendum, facile Cadavera terræ mandari poterunt. Nec subindè gravidis mulieribus periculum suboritur, eò quòd plerumque in locis semotis, executio fieri soleat; quare illæ oculos avertere, & sic periculum illud effugere poterunt, si fortè propter necessaria negotia, iter istuc versum, suscipiendum foret. Ut, taceam, in dictis privatum tantum militare bonum, quod meritò publico postponendum venit. Cicero Rhetorem agit, omniaq; quæ ad gravandum reum faciunt, ipsi ut inde invidiam creet, conquirat. Quamvis etiam Justitiæ congruum videatur, mortuo leoni barbam non ultrò vellicare, ipsiq; insultare, cum mors omnia solvat. Non equidem negaverim, adversus cadavera punitorum regulariter non esse sapiendum, in terrorem tamen & exemplum aliorum quandoque permitti posse, ut in cadavera animadvertatur, quo recordatione periculi caveant alii & à criminibus abstineant, quemadmodum *ex Petr. Heigio qu. 37. n. 9. & seqq.* eleganter deducit *Carpz. Jurispr. Consist. l. 2. def. 370. n. 11. add. Vasq. illust. quest. 96. & Feiden. in Grot. lit. 2. cap. 19.* Quæ de Imagine DEI assertur instantia, illa non est tam gravis, hanc ut exceptionem subvertat, cum illa potiùs in animâ quàm in corpore consistat.

§. 11. Quod consuetudinem concernit, magna sanè ejusdem vis est, ac auctoritas *l. 36. ff. de leg. quæ perpetuæ legis vim obtinet l. 2. C. quæ sit. longâ Consuetud. l. 38. ff. d. leg. cum non solum Legem interpretetur l. 37. ff. d. l. sed & eam tacito consensu omnium per desuetudinem abroget §. 11. Inst. d. 3. N. G. & C. l. 32. §. 1. in fin. de legib. De Savitiâ, quam Christiana vix videtur pati Moderatio, nullum firmum deducitur argumentum, quia adhuc disputatur, num semper sit savitia. *Osiand. p. m. 1103.* Nec locus Apocalypseo in contrariam abit partem, cum inibi sermò de corporibus, sine iusta causâ interemptis. Quòd autem animæ punitorum vexentur à Dæmonib9, merito*



merito inter Rabbinorum nugās referimus, cū sacra Scriptura prorsus hīc taceat.  
*Osiand. loc. supr. cit. ejusdem prorsus farinae & id, quod gentiles de animā oberante  
confinxere. Angeli demum judicium parū nos movet, cū ex præconceptā veni-  
at opinione, & malè barbara & inhumana dicitur feritas, cū & supra deduxerimus,  
in corpora demortua quandoque sæviri. Quod autem Serenissimi Brandenburgici  
Electoris Constitutionem attinet, laudem maximam illa promeretur, cū quilibet  
Dominus in suo territorio Leges ferre possit, interim alii Principes nec non Civitates  
immeritò notam incurrunt, quod mori inveterato indulgētia, Plura hac de re qui ge-  
stiat cognoscere inspiciat. Covarrav. Var. Resol. lib. 2. Tom. 2. c. 1. n. 11. Prosper; Farinac;  
Pract. Crim. lib. 1. tit. 1. q. 9. num. 78. & seqq. Quirin: Kubach: Cent. 2. dec. 2. qu. 1. Petr.  
Heig. p. 2. qu. 37. Berlich. part. 5. Concl. 48. Carpz. Juris. Confist. lib. 2. tit. 24. Des. 379. n. 5.  
idem Pr. Crim. part. 3. qu. 137. num. 69. Speckh. Cent. 1. q. 9. Theodor. Coll. Crim. Disp.  
10. lib. 6. lit. C. Gros. de Jur. B. & P. lib. 2. cap. 19. §. 4. & ad eundem Osiand. & Ziegler.  
aliosq. Doctores ad tit. de Cadav. punir; & l. n. Cod. de relig. & Sumpt. fun.*

§. 12. Ut ut autem hac occasione locum justitiæ & executioni sententiæ ca-  
pitalis destinatum, passim violari, Nicol. Boër. Decis. 212. num. 24. scandalumque non  
minimum præberi concedamus, quando puniti & suspensi vestibus denudati, in loco  
publico relinquuntur. Carpz. Pract. Crim. part. 2. qu. 83. num. 60. Imò nonnunquam  
cadavera, de patibulis, ad usus Magicos, vel ex alio malo proposito auferantur, Sub-  
inde tamen non improbanda supradicta Consuetudo, cū leges eos puniri volunt,  
qui ejusmodi Criminis rei sunt, & quidem vel fustigatione, vel relegatione, vel alia  
quādam poenā arbitrariā per Constit. Elect. part. 4. Const. 34. §. ult. Idque procedit,  
non solum si quis, integrum cadaver abstulit, sed etiam si quis, partem ejus, puta  
digitum ad usum furti & incantationis abscidit, eamque poenam ad mortem quan-  
doque exasperari, si aliæ circumstantiæ & qualitates occurrant, & delictum aggra-  
vent, ex Bodin. tract. de Daemonom. l. 4. c. 5. tradit Berlich. part. 5. Concl. 48. num. 23 qui  
refert, Lutetiæ quendam pistorem dulciarium, qui è suspensorum carne, artocreata  
fecisset, vivum crematum, domum ejus eversum, & ne impofterum reedificaretur,  
prohibitum fuisse.

§. 13. Sed cum sub finem hujus Disputationis, de Contrariis, per quæ poena capi-  
talis delinquenti remittitur, & nonnullis aliis materiis, præsens negotium concernentibus,  
agere, angustiā pagellarum prohibeamur, brevissimè tamen inquirere placer, in consuetudi-  
nem, nonnullis Regionibus approbatam, quæ Intercessione puellæ, nonnunquam etiam me-  
retriciis, delinquentem in matrimonium perentis, reus morte liberatur. In Gallia usitatum  
eam esse refert Theodor. Coll. Crim. Disp. 10. lit. I. Carpz. Pract. Crim. part. 2. quest. 89.  
distinguit inter judices & Magistratus superiores veluti Principem, & inferiores, ita ut supe-  
riorum arbitrio committat, an ob intercessionem puellæ, poenam promeritam Reo mitigare  
velit, apud inferiores verò nullum intercessio illa sibi vindicet locum. Cui sententiæ calculum  
adjicio simulque sepulchralem hanc materiam variis sub titulis atque locis in Vtroque Jure  
dispersam, relinquo. In quæ pertrahendā, licet fortè mea studia non satisfecerint  
omnium expectationi, eorum tamen quæ minus rectè appōsita fuere, à CANDIDO LE-  
CTORE, facile veniam impetra verim, quandoquidem recte Imperatore, Iustiniano discimi-  
natis magis est quàm mortalitatis, omnium habere memoriam, & in nullo penitus  
peccare. l. tanta §. 14. C. de iur. Vet. Enoch. Tantum

SOLI DEO GLORIA.




45. Reusner, de jure venandi.  
46. Reuther, de dominio.  
47. Reuther, de instrumentis sive literariis documentis.  
48. Reiter, de operis sui nunciatione.  
49. Reiter, de emptione et venditione.  
50. Preimberg, quaestiones juris civilis et feudalis.
















fēcus atq; tutor rerum & facultatum  
tionem facit, dominus est; proinde  
ad studia ministrare potest suapte,  
modò prodigalitatē non arguatur  
proficiat. Proinde non liberis, sed  
debet, qui sumptus liberaliores & e  
strarunt, *arg. c. damn. 86. de R. J. in  
l. 203. d. R. J.* Et collatio cessabit, quat  
des debitā paternā substantiā porti  
fraudari videantur, & inæqualitas  
quæ ut evitetur, vel ea sint confer  
nulli collationis oneri fuissent obn  
*de collat.* Non inæqualitatis objecta  
est, cum ab æqualitate sæpius jura  
& exorbitent, maximè circa casus, c  
sim leges collationem imperavere.  
in quos expensæ studiorum largior  
præ liberis cæteris præcipuum con  
bent, sed in studia eas insumserunt,  
mis, nullā tamen suā, sed parentur  
nistrarunt, proindeq; arbitrato b  
nem cogi nequeunt. *d. l. hic titulus. r.  
2. §. de illis, 2. ff. de collat.* Fatemur tai  
dere, ut si quid in unius filiorum stu  
expensum fuerit, cæteris hoc nomi  
fatio fiat; maximè cum filio, qui m  
gali sumptu vivere debuisset, quæ  
patio imputari possit. *arg. l. si igitur*

Sunt, qui limitationem octava  
studiorum gratiā subministratos  
habere nequeat, si ob istos paternā  
ciasset, etiam sine juramento. *Jas.*

eroga-  
amptō  
uerit,  
studiis  
nocere  
mini-  
et. eod.  
phere-  
do de-  
beros;  
lioqui  
pr. C.  
e pot-  
cedāt  
xpres-  
; filij,  
nihil  
ut ha-  
sè ni-  
ubmi-  
llatio-  
3. l. cum  
tē sua-  
eratus  
ropen-  
& fru-  
artici-  
ut filij  
cipuos  
renun-  
d locum.  
7. 3.

